



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

II. De Ministro suscipiente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

significatio violatur. Lege Sanctum *Carolus Borromeum* in pestilentia suos visitantem multos confirmasse, & quidem existimo quod propriâ manu immediatè. Quod tamen tunc potuisset, ubi erat periculum, uti virgulâ ad illud evitandum, probabile puto, cum sit hic frontis chrismatio, & consignatio, cum debita forma.

3. QUÆRO. *Quanam sit forma?* Resp. hæc est: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Atque quomodo omnia ista hic sint essentialia, explicui in *Candel. tr. 3. l. 3.* sicut & significationem materiæ, *l. 2.* declaravi.

CAPUT II.

De Ministro suscipiente.

I. QUÆRO. *Quis sit minister hic necessarius* Resp. esse Episcopum, ita ut simplex Sacerdos invalidè illud ministraret, nisi fortè ex commissione speciali Pontificis.

2. QUÆRO. *An possit illud ministrare in aliena Diœcesi?* Resp. non posse nisi ex licentia Episcopi illius Diœcesis. In

sua tamen Diœcesi potest Episcopus etiam alienos confirmare, si id gratum putat aliis Episcopis; & ita ferè obtinet praxis in Belgio, ut nullus accedens rejiciatur, etiamsi alterius sit Diœcesis. Vidi id sine scrupulo practicari ab Ill. *Cameracensi*, & à R. *Suffraganeo Leodiensi*, dum ad confinia veniat Diœcesis.

3. *QUAERO. Quod si negligens sit Episcopus, quomodo peccet? Resp. Em. Sæc. Notabilis negligentia Episcopi in confirmando, mortale est peccatum. Addo, quandoquidem illis reservata sit hæc potestas, debere ad hunc effectum Diœcesis suas frequenter visitare, maxime in locis quæ vicina sunt hæreticis; quia plurimum valet contra seductionem illorum. Item in locis agrestibus, in quibus sæpè hujus Sacramenti defectu reperies fraude Dæmonum mulieres & viros abreptos ad sortilegia & cultum Dæmonum, contra quorumdam dolos vis hujus Sacramenti poterat eos præmunire. Imitari debent Apostolorum Petri & Joannis diligenti-*

ligentiam, qui ad confirmandos Samaritanos recens ad finem conversos alacriter mox excurrerunt.

4. *QUAERO. An infantes & amentes possint suscipere hoc Sacramentum?* R. quod omnis baptisatus capax sit illius. Hinc & Apostoli omnibus baptisatis manus imposuisse leguntur. Et post Apostolorum tempora statim cum baptismo dabatur hoc Sacramentum cuiuscumque ætatis, sexus, & status, hominibus. Certè cum effectus ejus sit robur & perfectio gratiæ, illa convenit omnibus. Sic & olim cum bis tantum in anno baptizaretur, infantes cum Baptismo Confirmationem accepisse, testis est *S. August. tract. 6. in Ioan.*

Nec desunt Theologi qui judicant magis expedire, etiam nunc, ut confirmentur infantes; ut tantò certius effectum percipiant, & Christo arctius jungantur, atq; ad majorè gloriam jus accipiant. Ita inter cæteros id judicaverunt *S. Tho & S. Bonav. l. 4. sent. d. 7.*

Alii censent differendum ad annum
7. Favet huic opinioni *Catechismus Pr*

v. &

7, & multarum Ecclesiarum consuetudo. Nec deest ratio. 1. ob majorem Sacramenti reverentiam per propriam dispositionem. 2. ut professio in baptismo per alios facta, in confirmatione fiat per ipsum suscipientem. 3. ad vitandum periculum iterationis, dum meminit suscipiens suæ confirmationis. Utraque opinio est probabilis. In Parochiali nostro Leod. sic habetur: *Omnibus Fidelibus post baptismum, Sacramentum Confirmationis administrari potest, expedit tamen usum rationis expectari, qui ante septenniū communiter non apparet: nā pueri qui eo carēt, ad pugnam spiritualem nondum sunt idonei.* Sed ad hoc responderetur, quod pueri apti sint ut armentur, & consignentur characteri militari, & gratiæ perfectionem suscipiant, ut suo tēpore possint demicare, & auxilium opportunum reperire.

CAPUT III.

De necessitate hujus Sacramenti.

I. **Q**UAERO. *An sit praeceptum strictum ad suscipiendum hoc Sacramentum.* Resp. communioem Theologo-